

EBEN

Ca 4/3

1) Vergilius, P. M.


Thesaurus

3) Seneca, Joseph

4) Cicero

2) Seneca, P. M. Annals

Ca 4/3



12 8



Thesaurus



4
EPISTOLA-
RUM CICERONIS,
QVÆ VULGO MINO-
RES APPELLANTUR,

VIII
37
LIBER PRIMVS.

Quintilianus (cui Domitianus Augustus sororis suæ
nepotum delegaverat curam) lib. 10. c. 1.

*Apud posteros id consecutus est Cicero, ut
jam non hominis, sed eloquentiæ nomen ha-
beatur. Hunc igitur spectemus. Hoc pro-
positum nobis sit exemplum. Ille se profe-
cisse sciat, cui Cicero valde placebit.*



Coburgi imprimebat Casparus Bertsch.
ANNO CHRISTI M. DCVI.

EPISTOLARUM
CICERONIS
QUAE VULGO MINOR
RES APPELLANTUR

LIBER PRIMVS

Quintilianus (qui Dicitur) in hunc locum
hunc librum legimus cum hunc locum

Quod postea in continuatione de Cicerone, ut
sunt notandum, ad hunc locum non ha-
bitur. Hic notandum est, hunc pro-
prium ad hunc locum. Hic notandum
est, hunc locum ad hunc locum.



Exemplum huiusmodi Ciceronis
Cicero Cicerone M. DONA

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50

I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII
XIII
XIV
XV
XVI
XVII
XVIII
XIX
XX
XXI
XXII
XXIII
XXIV
XXV
XXVI
XXVII
XXVIII
XXIX
XXX
XXXI
XXXII
XXXIII
XXXIV
XXXV
XXXVI
XXXVII
XXXVIII
XXXIX
XL
XLI
XLII
XLIII
XLIV
XLV
XLVI
XLVII
XLVIII
XLIX
L
LI
LII
LIII
LIV
LV
LVI
LVII
LVIII
LIX
LX
LXI
LXII
LXIII
LXIV
LXV
LXVI
LXVII
LXVIII
LXIX
LXX
LXXI
LXXII
LXXIII
LXXIV
LXXV
LXXVI
LXXVII
LXXVIII
LXXIX
LXXX
LXXXI
LXXXII
LXXXIII
LXXXIV
LXXXV
LXXXVI
LXXXVII
LXXXVIII
LXXXIX
LXXXX
LXXXXI
LXXXXII
LXXXXIII
LXXXXIV
LXXXXV
LXXXXVI
LXXXXVII
LXXXXVIII
LXXXXIX
LXXXXX



M. T. C. S. P. D.

Marcus Tullius Cicero


salutem plurimam dicit Terentia Uxori suæ.

I.

Lib. 14. ad Familiares, Epistola 22.

Argumentum & Summa.

Dicit se tabellarios expectare, ut consilium capere possit.



*I VALES, bene est: ego valeo. Nos quotidie tabellarios vestros expectamus: qui, si venerint, fortasse erimus certiores, quid nobis faciendum sit, faciemusque te statim certio-
rem. Valetudinem tuam cura diligenter.
Vale. Calendis Septembris.*

II.

Eidem. Ibidem Epist. 21.

Scribit ut, quæ tempus postulabit, provideat, sibique ab-
senti administret, literasque mittat.

*S I vales, bene est: ego valeo. Da operam, ut
convalescas: quod opus erit, ut res tempusque
A 2 postu-*

postulat, provideas, atq; administres, & ad me
de omnibus rebus quàm sæpissimè literas mittas.
Vale.

III.

Eidem. Lib.14. Epist. 8.

Rogat ut valetudinem curet. Laudat ejus diligentiam,
eaq; ut deinceps utatur, mandat.

SI vales, bene est: ego quidem valeo. Vale-
tudinem tuam velim cures diligentissimè.
Nam mihi & scriptum & nunciatum est, te in
febrim subito incidisse. Quòd celeriter me fecisti
de Cæsaris literis certiozem, fecisti mihi gratum.
Item post hac, si quid opus erit, si quid acciderit
novi, facies ut sciam. Cura ut valeas. Die IV.
Nonas Junias.

IV.

Eidem. Lib.14. Epist. 24.

Scribit literas Cæsaris se expectare.

SI vales, bene est: ego valeo. Nos neque de
Cæsaris adventu, neque de literis, quas Phi-
lotimus habere dicitur, quicquam adhuc certi
habemus. Si quid erit certi, faciam te statim cer-
tiozem. Valetudinem tuam fac cures. Vale.
III. Idus Sextileis.

V.

Eidem. Lib.14. Epist. 23.

Scri-

Scribit se accepisse literas Cæsaris, quas ille ex Ægypto miserat, anno ætatis Ciceronis sexagesimo.

SI vales, bene est: ego valeo. Reddita mihi jam tandem sunt à Casare litera satis liberales: & ipse opinione celerius venturus esse dicitur. Cui utrum obviam procedam, an hic eum expectem, cum constituero, faciam te certiore. Tabellarios mihi velim quàm primùm remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale.
Pridie Idus Sextiles.

VI.

Eidem. Lib. 14. Epist. 17.

Doloris index Epistola.

SI quid haberem, quod ad te scriberem, facerem id & pluribus verbis, & sapius. Nunc quæ sint negotia, vides. Ego autem quomodo sim affectus, ex Lepta & Trebatio poteris cognoscere. Tu fac, ut tuam, & Tullia valetudinem cures. Vale.

VII.

Eidem. Lib. 14. Epist. 11.

Tulliam filiam ad se venisse scribit Brundisium: sibi autem in animo esse Ciceronem filium ad Cæsarem mittere.

SI vales, bene est: ego valeo. Tullia nostra venit ad me pridie Idus Junii: cujus summa

A 3

virtu-

virtute, & singulari humanitate, graviore
etiam sum dolore affectus, nostra factum esse ne-
gligentia, ut longè alia in fortuna esset, atque
ejus pietas ac dignitas postulabat. Nobis erat in
animo Ciceronem ad Cæsarem mittere, & cum
eo Cneum Salustium. Si profectus erit, faciam
te certiozem. Valetudinem tuam cura dili-
genter. Vale. XIV. Calendas Quintileis.
(17. Junii, anno ætatis Ciceronis sexagesimo.)

VIII.

Eidem. Lib. 14. Epist. 15.

Dicit se mutasse consilium de mittendo ad Cæsarem Ci-
cerone filio,

SI vales, bene est: ego valeo. Constituera-
mus, ut ad te antea scripseram, obviam Cice-
ronem Cæsari mittere: sed mutavimus consili-
um, quia de illius adventu nihil audiebamus.
De cæteris rebus, etsi nihil erat novi: tamen
quid velimus, & quid hoc tempore putemus
opus esse, ex Sicca poteris cognoscere. Tulliam
adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura
diligenter. Vale. 12. Calendas Quintileis.

(20. Junii, anno eodem.)

IX.

Eidem. Lib. 14. Epist. 19.

Dolorem significat ex filia valetudine, & difficultatem;
quò minus possit propius accedere.

12

IN maximis meis doloribus excruciat me va-
letudo Tullia nostra. De qua nihil est, quòd
ad te plura scribam. Tibi enim aequè magna
cura esse certò scio. Quòd me propius vultis ac-
cedere, video ita esse faciendum. Etiam antè
fecissem: sed me multa impedierunt, quæ ne
nunc quidem expedita sunt. Sed à Pomponio
expecto literas, quas ad me quàm primùm per-
ferendas cures velim. Da operam, ut valeas.
(Anno ætatis Ciceronis 59. Vide Epist. 6. lib. ii. ad Atticum.)

X. Eidem.

Scribit de suo in Italiam post devictum à Cæsare Pom-
peium adventu, anno ætatis 59. Monet uxorem, ne
ad ipsum eat.

Quòd nos in Italiam salvos venisse gaudes,
perpetuò gaudeas velim. Sed perturbati
dolore animi, magnisq; injurijs, metuo ne id con-
siliij ceperimus, quod non facile explicare possi-
mus. Quare, quantum potes, adjuva. Quid
autem possis, mihi in mentem non venit. In
viam quòd te des hoc tempore, nihil est: & lon-
gum est iter, & non tutum: & non video, quid
prodesse possis, si veneris. Vale. Pridie Nonas
Novembreis. Brundisij.

XI.

Eidem. Lib. 14. Epist. 20.

A 4

Scri-

Scribit se in Tusculanum venturum, & mandat, ut omnia sint parata ad hospites excipiendos.

IN Tusculanum nos venturos putamus, aut Nonis, aut postridie. Ibi fac, ut sint omnia parata. Plures enim fortasse nobiscum erunt, & ut arbitror, diutius ibi commorabimur. Labrum si in balneo non est, fac, ut sit: item cetera, quæ sunt ad victum, & valetudinem necessaria. Calendis Octobris, de Venusino. (anno ætatis 60.)

XII.

Lib. 16. Epist. 2.

Scribit se adversis ventis Corcyræ teneri, hortaturq; Tironem libertum, quem è Cilicia in Italiam revertens, anno ætatis 57. Patris in Achaja ægrum reliquerat, ut se curet, nec nisi confirmatus naviget.

M. T. C. Tironi S. P. D.

SEptimum jam diem Corcyræ tenebamur. Quintus autem frater, & filius Buthroti. Solliciti eramus de tua valetudine mirum in modum: nec mirabamur, nihil à te literarum. Iis enim ventis istinc navigatur, qui, si non essent, nos Corcyræ non sederemus. Cura igitur te, & confirma: & cum commodè, & per valetudinem, & per anni tempus navigare poteris, ad nos, amantissimos tui veni. Nemo nos amat, qui te non diligit. Carus omnibus, expectatusq; venies.

*nies. Cura, ut valeas etiam atq; etiam, Tiro no-
ster. Vale. XV. Calendas Novembreis. Corcyra.*

XIII.

Eidem. Lib. 16. Epist. 4.

*Scribit de sua sollicitudine, suoq; ad Alyziam accessu, &
rogat, ut valetudinem diligenter curet.*

*N*on queo ad te, nec lubet scribere, quo animo
sim affectus: tantum scribo, & tibi, & mihi
maxima voluptati fore, si te firmum quam pri-
mum videro. Tertio die abs te ad Alyziam ac-
cesseramus. Is locus est citra Leucadem stadia
cxx. Leucade aut te ipsum, aut tuas literas à
Marione putabam me accepturum. Quantum
me diligis, tantum fac, ut valeas, vel quantum
te à me scis diligere. Nonis Novembr. Alyzia.

XIV.

Eidem. Lib. 16. Epist. 5.

Rogant, ut omni cura valetudini serviat.

*M. T. C. Pater, & Filius, & Quintus Frater,
& Filius, salutem dicunt Tironi suo.*

*N*os apud Alyziam, ex quo loco tibi literas
antè dederamus, unum diem commorati
sumus, quòd Quintus nos consecutus non erat.
Is dies fuit Nonæ Novembris. Inde ante lucem
proficiscentes, ante diem VIII. Idus Novembris

As *has*

has literas dedimus. Tu, si nos omnes amas, & precipue me, magistrum tuum, confirma te. Ego valde suspensò animo expecto, primùm te scilicet, deinde Marionem cum tuis literis. Omnes cupimus, ego in primis, quàm primùm te videre: sed, mi Tiro, valentem. Quare nihil properaris: satis quotidie videro, si valebis. Utilitatibus tuis possum carere: te valere, tua causa primùm volo, tum mea, mi Tiro. Vale.

XV. Eidem.

Idem argumentum, ut Tiro valetudinem curet.

Tertiam ad te hanc epistolam scripsi eodem die, magis instituti mei tenendi causa, quia nactus eram, cui darem, quàm quòd haberem, quid scriberem. Igitur illa: quantum me diligis, tantùm adhibe in te diligentia. Ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratissimum omnium. Cùm valetudinis rationem, ut spero, habueris, habeto etiam navigationis. In Italiam euntibus omnibus ad me literas dabis, ut ego euntem Patras neminem prætermitto. Cura, cura te, mi Tiro. Quando non contigit, ut simul navigares, nihil est, quòd festines: nec quicquam cures, nisi ut valeas. Etiam atq; etiam vale. VII. Idus Novemb. Actio, vesperi.

XVI. Ei-

XVI. Eidem.

Narrat quàm periculosum sit Tironi, post morbum in viam se dare, exigitq; solitam ejus operam in studijs.

Ego verò cupio, te ad me venire: sed viam timeo. Gravissimè agrotasti: inedia & purgationibus, & vi ipsius morbi consumtus es. Graves solent offensiones esse ex gravibus morbis, si qua culpa commissa est. Jam ad id biduum, quòd fueris in via, dum in Cumanum veneris, accedunt continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formianum ad III. Calendas esse volo. Ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice. Literulae meae, si ve nostrae, tui desiderio oblanguerunt. Hac tamen epistola, quam Acastus attulit, oculos paulum sustulerunt. Pompeius (fortè Pomponius legendum) erat apud me, cum hac scribebam. Hilarè & libenter ei cupienti audire nostra, dixi, sine te omnia mea muta esse. Tu Musis nostris para, ut operam reddas. Nostra ad diem dictam fient. Docui enim te, FIDES est tui quod haberet. Fac planè, ut valeas. Nos adsumus. Vale. XIV. Calendas Januar.

XVII.

Eidem. Lib. 16. Epist. 25.

Cicero filius literas à Tirone quàm creberrimas requirit.

Et si

E Tsi justa & idonea usus es excusatione in-
termissionis literarum: tamen id ne sepius
facias, rogo. Nam etsi de Republica rumoribus
& nuncijs certior fio, & de sua in me voluntate
semper ad me perscribit Pater: tamen de quavis
minima re scripta à te ad me epistola, semper
fuit gratissima. Quare, cum in primis tuas desi-
derem literas, noli committere, ut excusatione
potius expleas officium scribendi, quam assidui-
tate literarum. Vale.

XVIII.

Lib. 6. Epist. 16.

Hæc Epistola omnium brevissima, continet gratulati-
onem, benevolentiam, officium.

T Ibi gratulor; mihi gaudeo: te amo: tua
tueor. A te amari, & quid agas, quidq;
istic agatur, certior fieri volo. Vale.

XIX.

Lib. 7. Epist. 4.

Præmonet Marium de adventu suo in Pompeianum.

Cicero S. D. Mario.

A D diem VIII. Calendas Julias in Cuma-
num veni cum Libone tuo, vel nostro po-
tius. In Pompeianum statim cogito. Sed faciam
te antè certiozem. Te cum semper valere cupio,
tum

tum certè, dum hìc sumus. Vides enim quantò
pòst unà futuri simus. Quare, si quid constitu-
tum cum podagra habes, fac in alium diem dif-
feras. Cura igitur, ut valeas, & me hoc biduo,
aut triduo expecta.

XX.

Lib. 9. Epist. 23.

Jocatur cum Pæto, qui scripserat se pedibus ægrum. Ait
enim se putare cocum illius articulari morbo non
impediri, quò minùs cœnam possit apparare.

Cicero S. D. Papyrio Pæto.

H Eri veni in Cumanum: cras ad te fortasse.
Sed cum certum sciam, faciam te paulò an-
tè certiozem. Etsi Marcus Ceparius, cum mihi in
sylva Gallinaria obviam venisset, quæsissemq̃,
quid ageres, dixit, te in lecto esse, quòd ex pedi-
bus laborares. Tuli scilicet molestè, ut debui: sed
tamen constitui ad te venire, ut & viderem te,
& viserem, & cœnarem etiam. Non enim arbi-
tror, cocum etiam te arthriticum habere. Ex-
pecta igitur hospitem cum minimè edacem, tum
inimicum cœnis sumptuosus.

(Gallinaria sylva in Campania, Cumis vicina. Strabo lib. 5.)

XXI.

Lib. 12. Epist. 27.

Commendat Aufidii Equitis Africana negotia.

Cicero

Cicero S. P. D. Quinto Cornificio.

Sextus Aufidius & observantia, qua me colit, accedit ad proximos, & splendore Equiti Romano nemini cedit. Est autem ita temperatis moderatisq; moribus, ut summa severitas, summa cum humanitate jungatur. Cujus tibi negotia, quae sunt in Africa, ita commendo, ut majore studio, magisque ex animo commendare non possim. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat, meas apud te literas maximum pondus habuisse. Hoc te vehementer, mi Cornifici, rogo. Vale.

XXII.

Lib. 13. Epist. 3.

Fusium commendat, quem & antè praesens praesenti commendarat.

Cicero S. D. Memmio.

Avlum Fusium, unum ex meis intimis, observantissimum, studiosissimumq; nostri, eruditum hominem, & summa humanitate, tuaq; amicitia dignissimum, velim ita tractes, ut mihi coràm recepisti. Tam mihi gratum id erit, quàm quod gratissimum. Ipsum praeterea summo officio, & summa observantia tibi in perpetuum devinxeris. Vale.

XXIII.

XXIII.

Lib. 13. Epist. 13.

Commendat Castronium Patum Lucensem.

Cicero S. P. D. Bruto.

L Vcius Castronius Patus, longè princeps Municipii Lucensis, est honestus, gravis, plenus officii, bonus planè vir, & cum virtutibus, tum etiam fortuna, si quid hoc ad rem pertinet, ornatus: meus autem est familiarissimus, sic prorsus, ut nostri ordinis observet neminem diligentius. Quare ut & meum amicum, & ut tua dignum amicitia, tibi commendo. Cui quibuscunque rebus commodaveris, tibi profectò jucundum, mihi certè erit gratum. Vale.

XXIV.

Lib. 13. Epist. 20.

Commendat Asclaponem Medicum.

Cicero Servio Sulpitio S. P. D.

A Sclapone Patrensi Medico utor valde familiariter, ejusq; tum consuetudo mihi jucunda fuit, tum etiam ars, quam sum expertus in valetudine meorum. In qua mihi tum ipsa scientia, tum etiam fidelitate benevolentiaq; satisfecit. Hunc igitur tibi commendo, & à te peto, ut des operam, ut intelligat, diligenter me scripsisse

*scripsisse de sese, meamq; commendationem usui
magno sibi fuisse. Erit id mihi vehementer gra-
tum. Vale.* (anno Ciceronis 61. quo tempore Sulpitius
Græciæ præerat.)

XXV.

Lib. 15. Epist. 8.

Anno ætatis suæ 57. Cajo Claudio Marcello de Consulatu
gratulatur, suamq; illi dignitatem commendat.

Cicero Proconsul Cajo Marcello

Consuli designato S. P. D.

Maxima sum letitia affectus, cum audiui,
te Consulem factum esse, eumq; honorem
tibi Deos fortunare volo, atq; à te pro tua, paren-
tisq; tui dignitate administrari. Nam cum te
semper dilexi, amaviq;, quod mei amantissi-
mum cognovi in omni varietate rerum mea-
rum: tum Patris tui pluribus beneficijs, vel de-
fensus tristibus temporibus, vel ornatus secundis,
necesse est, ut & sim totus vester, & esse debeam,
cum præsertim matris tuæ, gravissima, atque
optima fœmina, majora erga salutem dignita-
temq; meam studia, quàm erant à muliere postu-
landa, perspexerim. Quapropter à te peto ma-
jorem in modum, ut me absentem diligas,
atque defendas. Vale.

EPISTO-



LIBER SECUNDUS
EPISTOLARUM CICE-
RONIS, EX EPISTOLIS AD
ATTICUM.

Titus Pomponius Atticus, ab origi-
ne ultima, stirpis Romanæ genere na-
tus, perpetuò à Majoribus acceptam eque-
strem obtinuit dignitatem.

Cùm mortuus sit, postquam septem,
& septuaginta annos complevit, Cneo Do-
mitio, Cajo Sosio consulibus, apparet, eum
natum esse anno Mundi 3863. triennio ante
Ciceronem, post cujus interitum annos
undecim superfuit.

Postquam vidit Cinnæ, & Octavii tu-
multu Rempub. esse turbatam, idoneum
tempus ratus studiis obsequendi suis,
Athenas se contulit, circa annum ætatis 22.

Hic ita vixit, ut universis Atheniensibus
meritò esset charissimus. Græcam linguam
ita probè didicit, ut Athenis natus videre-
tur, & Attici nomen assequeretur.

B Tran-

Tranquillatis rebus Romanis, remigra-
vit Romam, ut opinantur, L. Cotta, & L.
Torquato Coss. anno ætatis Ciceronis 42.

Soror Attici nupta fuit Q. Tullio Cice-
roni, easq; nuptias M. Cicero conciliarat,
cum quo à condiscipulatu vivebat conjun-
ctissimè, multò etiam familiariùs, quàm
cum Quinto: ut judicari possit, plus in ami-
citia valere similitudinem morum, quàm
affinitatem.

Ciceroni in omnibus ejus periculis sin-
gularem fidem præbuit, eiq; ex Patria fugi-
enti Sestertiùm ducenta & quinquaginta
millia donavit, qui essent coronati 6250.
Fuit enim admodum pecuniosus.

Epistolas 407. in sedecim volumina dis-
tributas Cicero ab Consulatu suo usque ad
extremum tempus ad Atticum misit: quæ
qui legat, non multùm desideret historiam
contextam eorum temporum,
ut inquit Cornelius
Nepos.

LIBER

L I B E R S E-
C U N D U S.

E P I S T O L A P R I M A.

Lib. 3. Epist. ultima.

Respondet ad tristes literas Attici, eumq; orat, ut sibi suisq; opem ferat, in exilii miseria. Fuit autem Cicero in exilium eiectus anno ætatis suæ 49. & ab eodem revocatus anno sequenti.

Cicero Tito Pomponio Attico S. D.

X tuis literis, & ex re ipsa, nos funditus perijisse video. Te oro, ut, quibus in rebus mei tui indigebunt, nostris miseris ne desis. Ego te, ut scribis, citò videbo. Plura non scribo. Cura, ut valeas.

II.

Lib. 3. Epist. 21.

Significat quò in exilio suo profecturus sit, nempe in Epirum, quæ Græciæ regio est inter Macedoniam & Achajam. Rogat etiam Atticum, ut de omnibus rebus scribat.

Triginta dies erant ipsi, cum has dabam literas, per quos nullas à vobis acceperam. Mihi autem erat in animo, jam, ut antea ad te scripsi, ire in Epirum, & ibi omnem casum potissimum expectare. Te oro, ut, si quid erit, q̄ perspicias, quamcunq; in partem, quàm planissimè ad me
B 2 scribas,

*scribas, & meo nomine, ut scribis, literas, quibus
putabis opus esse, ut des. Vale. V. Calend. No-
vembr. Thessalonica.*

III.

Lib. 3. Epist. 22.

Significat ubi sit, & literas ab Attico petit. Dyrrha-
chium, ubi scripta est epistola, urbs est in parte Macedoniae,
quæ mari Adriatico incumbit. Illa urbs erat libera, & in
Ciceronem officiosa, & proxima Italiae, & Cicero eò se con-
tulerat, ut quàm celerrimè audire posset, quid ageretur,
& esset tutò, lib. 14. ad Famil.

Epist. 1. & 3.

E *Go, quòd per Thessaliam si irem in Epirum,
per diu nihil eram auditurus, & quòd mei
studiosos habeo Dyrrhachinos, ad eos perrexi,
cùm illa superiora Thessalonica scripsissem. Inde
cùm ad te me convertam, faciam, ut scias: tuq;
ad me velim omnia quàm diligentissimè, cujus-
modi sunt, scribas. Ego jam aut rem, aut ne spem
quidem expecto. VI. Calend. Decembr. Dyrrha-
chij.*

IV.

Lib. 3. Epist. 1.

Constituerat Cicero sibi met ipsi mortem in exilii mi-
seria consciscere. Sed Atticus eum ad vitam vocavit, & effe-
cit, ut à se manus abstineret, lib. 3. Epist. 7. Pro hoc beneficio
Cicero gratias agere gestit, & orat Atticum, ut ad se
veniat Vibonem, oppidum Lucaniae
ad fretum.

Vtinam

*V*tinam illum diem videam, cum tibi agam
gratias, quod me vivere coegisti. Adhuc
quidem valde me paenitet: sed te oro, ut ad me
Vibonem statim venias, quod ego multis de causis
converti iter meum. Sed eo si veneris, de toto iti-
nere ac fuga mea consilium capere potero. Si id
non feceris, mirabor, sed confido te esse facturum.
Vale.

V.

Lib. 3. Epist. 2.

Exponit rationem itineris sui, & iterum orat Atticum,
ut ad se veniat. Naryx, ubi Epistola scripta, urbs est Locri-
dis, in extrema Italiae ora, quae magna Graecia dicta fuit. Sed
quidam legunt Thurii Lucaniae. Hipponium Lucaniae
oppidum, a Locris conditum, Romani Vibonem Valenti-
am nuncupaverunt. Ibi, ut Plutarchus in vita Ciceronis tra-
dit, Sica homo Sículus, qui & alios multos fructus amicitiae
Ciceronis perceperat, & ab eo Consule praefectus Fabrūm
factus fuerat, Ciceronem in aedes quidem non recepit, polli-
citus tamen est, se ei locum in agro, ubi lateret,
assignaturum.

*I*tinis nostri causa fuit, quod non habebam
locum, ubi pro meo jure diutius esse possem,
quam in fundo Sicae, praesertim nondum rogatio-
ne correctae: & simul intelligebam, ex eo loco, si
te haberem, posse me Brundisium referre: sine
te autem non esse nobis illas partes tenendas pro-
pter Antronium. Nunc, ut ad te antea scripsi, si
ad nos veneris, consilium totius rei capiemus

B 3

Iter

Iter esse molestum scio: sed tota calamitas omnes molestias habet. Plura scribere non possum, ita sum animo perculso & abjecto. Cura, ut valeas. VI. Idus Aprilis. Naryce Locridis.

VI.

Lib. 3. Epist. 3.

Significat cur à Vibone discesserit, & Atticum sequi jubet. Discessit autem propter rogationem, id est, legem vel edictum, quod Clodius proposuerat, ut Ciceroni aqua & igni interdiceretur, & ne intra quingenta millia passuum ab Italia tecto reciperetur, adeò, ut si Cicero intra spatium definitum visus fuisset, & ipse, & qui eum recepissent, impunè interficerentur, Plutarchus & Dio. lib. 38. Melita oppidum est in Insula Melita, quam, ut & Siciliam, eo tempore obtinebat Cajus Virgilius Prætor, qui missis literis Ciceroni Sicilia interdixit.

Miseria nostra potius velim, quàm inconstantia tribuas, quòd à Vibone, quò te arcessebamus, subito discessimus. Allata est enim rogatio de pernicie mea, in qua quod correctum esse audieramus, erat hujusmodi, ut mihi ultra quadringenta millia liceret esse. Illò cum pervenire non liceret, statim iter Brundisium versus contuli ante diem rogationis, ne & Sica, apud quem eram, periret, & quòd Melita esse non licebat. Nunc tu propera, ut nos consequare, si modò recipiemur. Adhuc invitamur benignè: sed, quod superest, timemus. Me, mi Pomponi, valde pœnitet

tet vivere: qua in re apud me tu plurimum va-
luisti. Sed hæc coràm. Fac modò, ut venias. Vale.

VII.

Lib. 3. Epist. 4.

Petit ab Attico, ut se in itinere consequi studeat, quò
& præsidio & consilio ejus uti queat. Lex de Macedonia
est, qua Clodius Pisoni Consuli Achajam, Thessaliam, Græ-
ciam, Macedoniam, omnemq; Bœotiam dedit, in
oratione de Provinciis Consu-
laribus.

Cum antea maximè nostra interesse arbi-
trabar, te esse nobiscum, tum verò, ut legi-
rogationem, intellexi ad iter, quod constitui, ni-
hil mihi optatiùs cadere posse, quàm ut tu me
quàm primùm consequare: ut, cum ex Italia
profecti essemus, sive per Epirum iter esset faci-
endum, tuo, tuorumq; præsidio uteremur: sive
aliud quid agendum esset, certum consilium de
tua sententia capere possemus. Quamobrem te
oro, des operam, ut me statim consequare. Facili-
ùs potes, quoniam de provincia Macedonia per-
lata lex est. Pluribus verbis tecum agerem, nisi
pro me apud te res ipsa loqueretur. Vale.

VIII.

Lib. 3. Epist. 5.

Scripserat Terentia ad Ciceronem, lib. 14. Epist. 1. ut
aliquibus gratias ageret, pro officiis præstitis. Ejus rei men-
tionem

tionem in hac Epistola facit Cicero, & simul de miseria sua conqueritur, & orat Atticum, ut pergat eodem amore esse, nec fidem cum fortuna mutet. Thurium est urbs magnæ Græciæ, ad sinum Tarentinum sita. Ibi Cicero scripsit hanc epistolam, cum à Vibone Brundisium terra peteret, quòd maritimos cursus hyemis magnitudo præcluderet, in Oratione pro Plancio.

Terentia tibi & sepe, & maximas agit gratias: id est mihi gratissimum. Ego vivo miserimus, & maximo dolore conficior. Ad te quid scribam, nescio. Si enim es Romæ, jam me assequi non potes: sin es in via, cum eris me affecutus, coram agemus, quæ erunt agenda. Tantum te oro, ut quoniam me ipsum semper amasti, eodem amore sis. Ego enim idem sum. Inimici mei me a mihi, non me ipsum ademerunt. Cura, ut valeas. VIII. Idus Aprilis. Thurij.

IX.

Lib. 3. Epist. 6.

Narrat de itinere & miseria sua, seq; & suos Attico commendat. Tarentum est urbs magnæ Græciæ in Italia, à Lacedæmoniis in Calabria finibus condita. Brundisium est urbs Calabriae maritima, ex cujus portu trajectus brevissimus est in Epirum. Omnia illa Municipia, quæ sunt à Vibone Brundisium, iter Ciceroni tutum, multis minitantibus, magno cum suo metu præstiterunt, in Oratione pro Plancio. Cyzicum Asiæ januam nominat in Orat. pro Muræna.

Non

Non fuerat mihi dubium, quin te Tarenti
aut Brundisii visurus essem: idq; ad multa
pertinuit: in eis, ut & in Epiro consisteremus, &
de reliquis rebus tuo consilio uteremur. Quoni-
am id non contigit, erit hoc quoq; in magno nu-
mero nostrorum malorum. Nobis iter est in Asi-
am, maximè Cyzicum. Tibi meos commendo:
me vix misereq; sustento. XIV. Calend. Majas,
Tarenti.

X.

Lib. 3. Epist. II.

Significat, cur adhuc Thessalonica commoretur, seq;
& Qu. fratrem, tum ex Asia redeuntem, Attico commendat.
Thessalonicam venit Cicero X. Calend. Junii, & ibi à Plan-
cio Quæstore per septem menses liberaliter retentus fuit,
lib. 3. Epist. 8. ad Att. & in Oratione
pro Plancio.

ME & tua litera, & quidam boni nuncij,
non optimis tamen autoribus, & expecta-
tio vestrarum literarum, &, quòd tibi ita pla-
cuerat, adhuc Thessalonica tenebant. Si accepe-
ro literas, quas expecto: si spes erit ea, qua rumo-
ribus afferebatur, ad te me conferam. Si non erit,
faciam te certiozem, quid egerim. Tu me, ut fa-
cis, opera, consilio, gratia iuva: Consolari jam
desine, objurgare verò noli. Quod cum facis, tum
ego tuum amorem, & dolorem desidero, quem

B 5 ita

*ita affectum mea arumna esse arbitror, ut te-
ipsum consolari nemo possit. Qu. fratrem opti-
mum, humanissimumq; sustenta. Ad me, obsecro
te, ut omnia certa perscribas. IV. Calend. Quin-
tiles. (28. Junij.)*

XI.

Lib. 3. Epist. 13.

Calendis Junij, ut est in Oratione pro Sextio, decrevit
Senatus frequens de Ciceronis reditu, & Pompejus quoque
illo tempore se accusans, ut Plutarchus scribit, quòd Cicero-
nem prodidisset, de illius reditu, amicorum opera adjutus,
agere cæpit. Cicero igitur in hac Epistola scire cupit, quid
Pompejus ostendat, & quò iter suum conver-
surus sit, indicat.

EX tuis literis plenus sum expectatione de
Pompejo, quidnam de nobis velit, aut osten-
dat. Comitiam enim credo esse habita, quibus abso-
lutis, scribis illi placuisse, agi de nobis. Si tibi stul-
tus esse videor, qui sperem, facio tuo jussu, et si
scio, te me ijs Epistolis potius, & meas spes solitum
esse remorari. Nunc velim mihi planè perscri-
bas, quid videas. Scio, nos nostris multis peccatis
in hanc arumnam incidisse. Ea, si qui casus ali-
qua ex parte correxerit, minus molestè feremus,
nos vixisse, & adhuc vivere. Ego propter vie
celebritatem, & quotidianam expectationem
rerum novarum, non commovi me adhuc Thes-
salonica.

salonica: sed jam extrudimur, non à Plancio,
(nam is quidem retinet) verum ab ipso loco, mi-
nimè apposito, ad tolerandam in tanto luctu ca-
lamitatem. In Epirum ideò, ut scripseram, non
ivi, quòd subito mihi adversi nuntij venerant,
& litera, quare nihil esset necesse, quàm proxi-
mè Italiam esse. Hinc, si aliquid à Comitijis audi-
erimus, nos in Asiam convertemus, neque adhuc
stabat, quò potissimum: sed scies. XII. Calend.
Sextil. Thessalonica. (21. Julij.)

XII.

Lib. 3. Epist. 14.

Significat cur adhuc Thessalonicae commoretur, & ex-
cusat dolorem suum, & de inimicis conqueritur.

Qu. etiam fratrem iterum commendat Attico.

Quòd ad te scripseram, me in Epiro futu-
rum, posteaquam extenuari spem nostram,
& evanescere vidi, mutavi consilium: nec me
Thessalonica commovi, ubi esse constitueram,
quoad aliquid ad me de eo scriberes, quod proxi-
mis literis scripseras, fore, uti secundum Comitiam
aliquid de nobis in Senatu ageretur: id tibi Pom-
peium dixisse. Qua de re, quoniam Comitiam ha-
bita sunt, tuq; nihil ad me scribis, perinde habe-
bo, ac si scripsisses, NIHIL ESSE, meq; tempo-
ris non longinqui spe ductum esse, molestè feram.
Quem

Quem autem motum videre te scripseras, qui nobis utilis fore videretur, eum nunciant, qui veniunt, nullum fore. In Tribunis plebis designatis reliqua spes est, quam si expectâro, non erit, quod putes, me causa mea, ac voluntati meorum defuisse. Quod me saepe accusas, cur hunc meum casum tam graviter feram, debes ignoscere, cum ita me afflictum videas, ut neminem unquam nec videris, nec audieris. Nam quod scribis, te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi verò mens integra est, atq; utinam tam in periculo fuisset, cum ego ijs, quibus meam salutem charissimam esse arbitrabar, inimicissimis, crudelissimisq; usus sum. Qui, ut me paululum inclinari timore viderunt, sic impulerunt, ut omni suo scelere, & perfidia abuterentur ad exitium meum. Nunc, quoniam est Cyzicum nobis eundum, quò rariùs ad me litera perferentur, hoc velim diligentius omnia, quae putaris me scire opus esse, perscribas. Qu. fratrem meum fac diligas, quem ego miser, si incolumem relinquo, non me totum perijisse arbitrabor. Nonis Sextilibus. (die 5. Augusti.)

XIII.

Lib. 13. Epist. 16.

Expe-

Expectat literas Attici, eumq; orat, ut omnia, cujusmodi sunt, scribat, nec spem falsam ostendat.

Totum iter mihi incertum facit expectatio literarum tuarum, Calendis Sextilibus datarum, non aliud aliquid. Si spes erit, Epirum: sin minus, Cyzicum, aut aliud quid sequemur. Tua quidem litera, quò sæpius à me leguntur, hoc spem faciunt mihi minorem. Nam cum lecta sunt, tum id, quod attulerunt ad spem, infirmant, ut facile appareat, te & consolationi servire & veritati. Itaq; te rogo, planè ut ad me, quæ scis, ut erunt, quæ putabis, ita scribas. XII. Calend. Septembr. (21. Augusti.)

XIV.

Lib. 3. Epist. 18.

Vult certior fieri ab Attico, quæ spes salutis, id est, restitutionis se ostendat, autore Pompejo, qui se Ciceronis causam post Comititia suscepturum dixerat. Cæsar tum erat in Gallia, quò cum Plutarchus non prius abijisse scribit, quàm Ciceronem per Clodium Italia expulisset.

Expectationem nobis non parvam attuleras, cum scripseras, Varronem tibi pro amicitia confirmasse, causam nostram Pompejum certè suscepturum, & simul à Casare ei litera, quas expectaret, remissa essent, autorem etiam daturum. Vtrum id NIHIL fuit? an adversata sunt Casaris litera? an est aliquid in spe? Etiam illud scripse-

scripseras, eundem secundum Comitia dixisse.
Fac (si vides, quantis in malis jaceam, & si putas
esse humanitatis tuae) me fac de tota causa nostra
certiorem. Nam Qu. frater, homo mirus, qui me
tam valde amat, OMNIA MITTIT SPEI
PLENA, metuens, credo, defectionem animi
mei. Tua autem litera sunt varia. Neque enim
me desperare vis, nec temerè sperare. Fac, obse-
cro te, ut omnia, quae prospici à te possunt, scia-
mus. Vale.

XV. Lib. 3. epist. 25.

Venerat Atticus ad Ciceronem, & ab eo iterum discesse-
rat. Orat igitur Cicero, ut ante Calend. Januar. redeat.

Post tuum à me discessum, litera mihi Româ
allata sunt, ex quibus perspicio, nobis in hac
calamitate tabescendum esse. Neque enim (sed
bonam in partem accipies) si ulla spes saluti no-
stra subesset, tu, pro tuo amore in me, hoc tempo-
re discessisses. Sed ne ingrati, aut ne omnia velle
nobiscum unâ interire videamur, hac omitto.
Illud ab te peto, des operam, id quod mihi affir-
masti, ut te ante Calendas Januarias, ubicunq;
erimus, sistas. Vale.

XVI. Lib. 1. Epist. 14.

Anno ætatis Ciceronis 46. Qu. Tullius Cicero Marci
frater Prætor fuit, cumq; Prætores Provincias sortirentur,
Qu. Ciceroni Asia obtigit, quam etiam per triennium obti-
nuit.

nuit. Id Cicero Attico in hac epistola significat, eumq; hor-
tatur, ut laudi studeat, & de certis quibusdam rebus literas
mittat. Locus Homeri extat Iliadis lib. 22. v. 268. omnis vir-
tutis recordare, id est, totis viribus pugna.

A Siam Quinto, suavissimo fratri obtigisse,
audisti. Non enim dubito, quin celerius tibi
hoc rumor, quam ullius nostrum litera nuntia-
rint. Nunc, quoniam & laudis avidissimi semper
fuimus, & præter ceteros φιλέδδηνες & sumus, &
habemur, & multorum odia, atque inimicitias
Reipub. causa suscepimus: πάντοίης ἀρετῆ μιννή-
σκειο: curaq; & effice, ut ab omnibus, & laude-
mur, & amemur. His de rebus plura ad te in ea
epistola scribam, quam ipsi Quinto dabo. Tu me
velim certiolem facias, quid de meis mandatis
egeris, atq; etiam, quid de tuo negotio. Nam, ut
Brundisio profectus es, nulla mihi abs te sunt
reddita litera. Valde a veo scire, quid agas. Idi-
bus Martij. Vale.

XVI. Lib. 2. Epist. II.

Cicero anno ætatis 48. mense Aprili & Majo extra ur-
bem Antij, in Pompejano, Formiano, & Arpinati in literis
vixit. Ibi & hanc epistolam scripsit, in qua significat ubi sit,
& quò profecturus sit, & literas ab Attico flagitat. Homeri
verba extant lib. 9. Odyss. v. 27. ubi eos Ulysses de patria sua
Ithaca pronuntiat. Budæ. lib. 3. de Assè, Blondum ait obser-
vasse, quòd Cicero octodecim villas habuerit, inq; his præ-
cipuas Tusculanam, Pompejanam, Formianam, Arpinatem.
In hac epistola & Antium Latij oppidum nominatur, quod
& Strab.

& Strabo tradit Principum otio dicatum fuisse, & esse ibi
ædificia magna permulta.

Narro tibi: planè relegatus mihi videor,
posteaquam in Formiano sum. Dies enim
nullus erat, Antij cùm essem, quo die non meliùs
scirem, Romæ quid ageretur, quàm ij, qui erant
Romæ. Etenim literæ tuæ non solùm quid Romæ,
sed etiam quid in Republica, neq; solùm quid fi-
eret, verùm etiam quid futurum esset, indica-
bant. Nunc, nisi si quid ex prætereunte viatore
exceptum est, scire nihil possumus. Quare quan-
quam jam te ipsum expecto, tamen isti puero,
quem ad me statim jussi recurrere, da pondero-
sam aliquam epistolam, plenam omnium non
modò actorum, sed etiam opinionum tuarum, ac
diem, quo Romæ sis exiturus, cura ut sciam. Nos
in Formiano esse volumus usq; ad pridie Nonas
Majas. Eò si ante eam diem non veneris, Romæ
te fortasse videbo. Nam Arpinum quid ego te in-
vitem?

τηχεῖ, ἀλλ' ἀγαθὴ κερφόφθη. ἔπι ἔγωγε
ἤς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.
Hæc igitur. Cura, ut valeas.

(aspera, sed bona juvenum nutrix, nihil ego illa terra
possum dulcius aliud videre.)

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIB. III.



LIBER TERTIUS
MINORUM EPISTO-
LARUM CICERONIS
EX EPISTOLIS AD
ATTICUM.

Seneca Epist. 21.

Nomen ATTICI perire Ciceronis Epi-
stolæ non sinunt. Nihil illi profuisset
gener Agrippa, & Tiberius progener, &
Drusus Cæsar Pronepos: inter tam magna
nomina taceretur, nisi Cicero illum appli-
cuisset.

EPISTOLA PRIMA.

Lib. 1. Epist. 2.

Scribit sibi filium natum esse, & orat Atticum, Ro-
mam ut veniat. Factum est hoc anno ætatis Ciceronis 43.
qui annus cùm legibus Romanis consularis esset, ideo Cice-
ro hoc anno Consulatum petivit, & Calendis Januarii anni
sequentis inivit. Inter alios competitores Catilinam habuit,
qui à Publico Clodio repetundarum accusabatur. Hunc
Cicero defendere cogitabat, sed Clodius accusator à Catili-
na pecuniam accepit, ut turpissimè prævaricaretur, & cau-
sam adversario donaret.

C

Lucio

L Vcio Julio Casare, Cajo Marcio Figulo Consulibus, filiolo me auctum scito, salva Terentia. Abste tam diu nihil literarum? Ego de meis ad te rationibus scripsi antea diligenter. Hoc tempore Catilinam competitorem nostrum defendere cogitamus. Judices habemus, quos volumus, summa accusatoris voluntate. Spero, si absolutus erit, conjunctiorem nobis fore in ratione petitionis: sin aliter acciderit, humaniter feremus. Tuo adventu nobis opus est maturo. Nam prorsus summa hominum est opinio, tuos familiares, nobiles homines, adversarios honori nostro fore. Ad eorum voluntatem mihi conciliandam, maximo te mihi usui fore video. Quare Januario ineunte, ut constituisti, cura, ut Roma sis. Vale.

II.

Lib. 4. Epist. 13.

Anno ætatis 53. Cicero tempore veris fuit in villis suis, atque in Cumano instituit scribere Politica, de optimo statu Civitatis, & de optimo cive, lib. 2. & 3. ad Qu. Fratrem, epist. 13. & 7. Cùm igitur libris indigeret, petit ab Attico, ut ejus sibi Bibliotheca pateat. Qu. autem Frater Legatus Cæsari in Galliam profectus erat, de quo Cæsar lib. 5. de bello Gallico.

V Estorius noster me per literas fecit certior em, te Roma ad VI. Idus Maii putare profectum

fectum esse tardiùs, quàm dixerunt, quòd mi-
nùs valuiffes. Si jam melius vales, vehementer
gaudeo. Velim domum ad tuos scribas, ut mihi
tui libri pateant, non secus, ac si ipse adesses, cum
cateri, tum Varronis. Est enim mihi utendum
quibusdam rebus ex ijs libris, ad eos, quos in ma-
nibus habeo, quos, ut spero, tibi valde probabo.
Velim, si quid fortè novi habes, maximè à Qu.
Fratre, deinde à C. Casare, & si quid fortè de Co-
mitijs, de Repub. (soles enim tu hæc festivè odo-
rari) conscribas ad me. Si nihil habebis, tamen
scribas aliquid. Nunquam enim mihi tua episto-
la, aut intempestiva, aut loquax visa est. Maxi-
mè autem rogo, rebus tuis, totoq; itinere ex sen-
tentia confecto, nos quàm primùm revisas. Dio-
nysium jube salvere. Cura, ut valeas.

III.

Lib. 5. Epist. 3.

Anno ætatis 56. Ciceroni Cilicia provincia consularis
obtigit. Profectus est ex urbe mense Majo, & villas suas per-
agravit, & quidem in Trebulana, (apud Trebulas oppidum
Sabinorum, cujus caseos Martialis laudat lib. 13. Epig. 33.)
hanc Epistolam scripsit ante lucem. Scribit de literis missis
& mittendis, & significat quòd porrò profecturus sit. Pom-
pejanum fuit apud Pompejos Campaniæ oppidum. Est &
Minturna ejus regionis oppidum, & Beneventum. Diony-
sius fuit Ciceronum puerorum Magister. Græcus, homo in-
gratus, lib. 7. & 8. ad Att. ep. 17. & 10. Nicanor servus Attici.

C 2

Ad

AD VI. Idus Majas veni in Trebulanum
ad Pontium: ibi mihi tuae literae binæ red-
ditæ sunt tertio abs te die. Eodem autem ex Pom-
pejano Philotimo dederam ad te literas, nec verò
nunc erat sanè, quod scriberem. Qui de repub.
rumores, scribe quaeso. In oppidis enim summum
video timorem, sed multa inania. Quid de ijs co-
gites, & quando, scire velim. Ad quas literas tibi
rescribi velis, nescio. Nullas enim adhuc accepe-
ram, præter quæ mihi binæ simul in Trebulano
redditæ sunt, quarum altera edictum P. Licinij
habebant (erant autem Nonis Majis datæ) alte-
ræ rescriptæ ad meas Minturnenses. Quàm ve-
reor, ne quid fuerit $\alpha\pi\delta\alpha\iota\omicron\tau\epsilon\rho\upsilon$ in ijs, quas non
accepi, quibus rescribi vis! Apud Lentulum po-
nam te in gratiam. Dionysius nobis cordi est. Ni-
canor tuus operam mihi dat egregiam. Jam de-
est, quod scribam, & lucet. Beneventum cogi-
tabam hodie. Nostra continentia, & diligentia
faciemus satis. A Pontio, ex Trebulano, ad V.
Idus Majas.

IV.

Lib. 5. Epist. 6.

Scribit se in itinere suo versus Ciliciam Tarentum ve-
nisse, & cum Pompejo esse. Atticum orat, ut, antequam in
Epirum proficiscatur, Cæsari pecuniam dissolvat, cujus
summam exprimit epistola 5. & 9. lib. 5.

Taren-

T Arentum veni ad XV. Calend. Junias.
Quòd Pontinum statueram expectare,
commodissimum duxi, dies eos, quoad ille veni-
ret, cum Pompejo consumere, eoq; magis, quòd ei
gratum esse id videbam, qui etiam à me petie-
rit, ut secum, & apud se essem quotidie: quod
concessi libenter. Multos enim ejus præclaros de
Repub. sermones accipiam, instruar etiam consi-
lijs idoneis ad hoc nostrum negotium. Sed ad te
brevior jam in scribendo incipio fieri, dubitans,
Romæ nè sis, an jam profectus. Quod tamen quo-
ad ignorabo, scribam aliquid potius, quàm com-
mittam, ut tibi, cum possint reddi à me literæ,
non reddantur: nec tamen jam habeo, quòd aut
mandam tibi, aut narrem. Mandavi omnia,
quæ quidem tu, ut polliceris, exhauries. Narra-
bo, cum aliquid habebo novi. Illud tamen non de-
sinam, dum te adesse putabo, de Caesaris nomine
rogare, ut confectum relinquas. Avidè expecto
tuas literas, & maximè, ut norim tempus profec-
tionis tuæ. Vale.

V.

Lib. 7. Epist. 4.

Anno ætatis 57. Cicero è Cilicia revertens, Brundisium
venit die 25. Novembris. Inde se in Trebulanum contulit
die VI. Decembris, & cum Pompejo locutus est 10. Decemb.
Colligit autem ex Pompeji sermonibus bellum inter ipsum

C 3

& Cæsa-

& Cæsarem oriturum. Triumphi cupiditas tenebat Cice-
ronem propterea, quòd victis Parthis Imperator appellatus
fuerat, lib. 15. ad Famil. Epist. 2. & 4. & lib. 5. Epist. 20.
ad Att. & 7. 2.

Dionysium flagrantem desiderio tui, misi ad
te, nec me herculè æquo animo: sed fuit con-
cedendum. Quem quidem cognovi cum doctum
(quod mihi jam antè erat notum) tum sanctum,
plenum officij, studiosum etiam meæ laudis, fru-
gi hominem, ac ne Libertinum laudare videar,
planè virum bonum. Pompejum vidi ad IV.
Idus Decemb. fuimus unà horas duas fortasse.
Magna letitia mihi visus est affici meo adven-
tu: de triumpho hortari, suscipere partes suas,
monere, ne antè in Senatum accederem, quàm
rem confecissem, ne dicendis sententijs aliquem
Tribunum alienarem. Quid quæris? in hoc ju-
dicio, & officio sermonis nihil potuit esse prolixi-
us. De Repub. autem, ita mecum locutus est, quasi
non dubium bellum haberemus: nihil ad spem
concordiæ: planè illum à se abalienatum cum
antè intelligeret, tum verò proximè judicasse.
Venisse Hirtium à Cæsare, qui esset illi familia-
rissimus, ad se non accessisse. Et, cum ille ad VIII.
Idus Decemb. vesperi venisset, cum Balbo de to-
ta re constituisset, ad diem VII. ad Scipionem
ante

*ante lucem venisset, multa de nocte profectum
esse ad Caesarem. Hoc illi seipsum iudicari videbatur
esse alienationis. Quid multa? Nihil me aliud
consolatur, nisi quod illum, cui etiam inimici al-
terum Consulatum, Fortuna summam potenti-
am dederit, non arbitror fore tam amentem, ut
hac in discrimen adducat. Quod si vivere cepe-
rit, nae ego multa timeo, quae non audeo scribere.
Sed, ut nunc est, ad diem III. Nonas Jan. ad Vr-
bem cogito. Vale.*

VI.

Lib. 7. Epist. 6.

Scribit se timere de Repub. propter discordiam Pom-
peji & Caesaris. Significat autem se Pompeji partes secutu-
rum. Caesari post primum Consulatum, aetatis Ciceronis 48.
Gallia in quinquennium data fuerat. Sed Pompejo secun-
dum Consule, aetatis Ciceronis 52. obtinuit, ut in quinquen-
nium sibi imperium prorogaretur. Pompejo tertium Con-
sule, aetatis Ciceronis 55. obtinuit, ut absenti sibi petitio se-
cundi Consulatus daretur, Sueton. & alij. Homeri locus est
Odyss. 12. v. 209. (non quidem hoc majus adve-
nit malum.)

P *Lanè deest, quod ad te scribam. Nota omnia
tibi sunt, nec ipse habeo. à te quid expectem.
Tantum igitur nostrum illud solenne servemus,
ut ne quem istuc euntem sine literis dimit-
tamus. De Repub. valde timeo, nec adhuc ferè
inveni, qui non concedendum putaret Caesari,*

quod postularet, potius, quàm depugnandum.
Est illa quidem impudens postulatio opinione
valentior. Cur autem nunc primum ei resista-
mus? & ἔπειθ' ἢ τὸδε πᾶσι γινώσκοντες, quàm cum
quinquennium prorogabamus, aut cum, ut ab-
sentis ratio haberetur, ferebamus: nisi fortè hæc
illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato
pugnaremus. Dices, quid tu igitur sensurus
es? Non idem, quod dicturus. Sentiam enim o-
mnia facienda, ne armis decertetur: dicam
idem, quod Pompejus, neq; id faciam humili ani-
mo. Sed rursus hoc permagnum Reipublicæ ma-
lum est, & quodammodò mihi, præter ceteros,
non rectum, me in tantis rebus à Pompejo dissi-
dere. Vale.

VII.

Lib. 7. Epist. 10.

Cicero anno ætatis 58. die tertio Januarij, nempe die
natali suo, è Cilicia in urbem redijt, lib. 7. Epist. 5. ad Att. Sed
cum in ipsam flammam civilis discordiæ incidisset, & Con-
sules atque optimates, metu Cæsaris, urbem relinquerent,
ipse quoque ab urbe discessit die 19. Januar. ut cognoscitur
ex Epist. 12. lib. 9. ad Att. Scribit autem in hac Epistola, se
exivisse, antequam luceret, propter lictores Laureatos, qui-
bus utebatur, quòd Imperator esset, Laurea vi-
ctos hostes indicante.

Subitò consilium cepi, ut antè, quàm luceret,
exirem, ne qui conspectus fieret, aut sermo,
lictori-

lictoribus præsertim laureatis. De reliquo neque
herculè quid agam, neque quid acturus sim, scio,
ita sum perturbatus temeritate nostri amentissi-
mi consilij. Tibi verò quid suadeam, cuius ipse
consilium expecto? Cneus noster quid consilij
ceperit, capiát ve, nescio: adhuc in oppidis coar-
ctatus, & stupent omnes. Si in Italia consistat,
erimus unà: sin cedet, consilij res est. Adhuc cer-
tè, nisi ego insanio, stultè omnia, & incautè. Tu,
quæso, crebrò ad me scribe, vel, quod in buc-
cam venerit. Vale.

VIII.

Lib. 7. Epist. 18.

Cicero in hac Epistola, quam sine dubio in Formiano
dedit, scribit de Legatione Cæsaris, de pueris, & Capua. Cæ-
sar L. Cæsarem ad Pompejum miserat cum mandatis de pa-
ce, quæ mandata Cicero absurdissima appellat, lib. 7. ad Att.
Epist. 13. 14. & 17. Pueros Ciceronis in Græciam amandare
cogitabat, cùm totam Italiam flagraturam bello intellige-
ret, Epist. 13. & 16. Capuam Campaniæ urbem clarissimam
Cicero sibi tuendam sumserat, lib. 16. ad Famil. Epist. 10.
eratq; totius Campaniæ & maritimæ oræ *Ἰνίσκουον*,
lib. 7. Epist. 11. ad Att.

Nihil habeo, quod ad te scribam: quin etiam
eam epistolam, quam eram elucubratus, ad
te non dedi. Erat enim plena spei bonæ, quòd &
concionis voluntatem audieram, & illum (Cæsa-
rem) conditionibus usurum putabam, præsertim
C 5 suis.

*suis. Ecce tibi IV. Non. Febr. manè accepi literas
tuas, Philotimi, Furnij, Curionis ad Furnium,
quibus irrident L. Caesaris legationem. Planè op-
pressi videmur, nec, quid consilij capiam scio: nec
me herculè de me laboro: de pueris quid agam,
non habeo. Capuam tamen proficiscebar hæc scri-
bens, quò facilius de Pompeji rebus cognoscerem.
Vale.*

Concionis voluntatem) lib. 7. Epist. 17. ad Att. responsa
Pompeji grata populo, & probata concioni esse dicuntur.

IX.

Lib. 7. Epist. 19.

Scribit se Consulum jussu Capuam venisse. Reprehen-
dit Pompejum & Cæsarem, illum quòd negligenter rem
agat, hunc quòd tyrannidem moliat. Phalaris fuit tyran-
nus Agrigentorum crudelissimus, de quo Cicero Verrina
4. p. 217. Pisistratus fuit Atheniensium tyrannus clemens.
Luceria est urbs Apuliæ, lib. 7. Epist. 12. ad Att. Legiones
Actianæ sunt, quas Publius Actius ducebat, lib. 7. Epist. 13.
ad Att. Lipsius Appianos legit ab Appio, Epist. 16. Centur. 2.
ad Belgas. MULIERES intelligit Terentiam uxorem,
& Tulliam filiam, de quibus propter barbarorum ad urbem
adventum omnia metuebat. Venerunt autem ad Cicero-
nem in Formianum die 2. Febr. lib. 7. ad Att.

Epist. 13. & 17.

B *Revilloquentem jam me tempus ipsum fa-
cit. Pacem enim desperavi: bellum nostri
nullum administrant. Cave enim putes, quic-
quam esse minoris his consulibus, quorum ego spe
audien-*

audiendi aliquid, & cognoscendi nostri appa-
tus, maximo imbri Capuam veni, pridie Nonas,
ut eram jussus. Illi autem nondum venerant, sed
erant venturi, inanes, imparati. Cneus autem
Luceria dicebatur esse, & adire cohortes legio-
num Actianarum non firmissimarum. At illum
ruere nuntiant, & jam jamq; adesse, non ut ma-
num conserat (qui cum enim?) sed, ut fugam in-
tercludat. Ego autem in Italia non sum, sed in Sicilia,
nec te id consulo: sin extra, quid ago? Ad ma-
nendum hyems, lictores, improvidi & negligen-
tes Duces: ad fugam hortatur amicitia Cneji,
causa bonorum, turpitudine conjungendi cum ty-
ranno, qui quidem, incertum est, Phalarimne
an Pisistratum sit imitaturus. Hac velim expli-
ces, & me juves consilio: etsi te ipsum istic jam
carere puto, sed tamen, quantum poteris. Ego si
quid hic hodie novi cognoro, scies. Jam enim ade-
runt Consules ad suas Nonas. Tuas quotidie lite-
ras expectabo. Ad has autem, cum poteris, rescri-
bes. Mulieres & Cicerones in Formiano reliqui.
Vale.

X.

Lib. 7. Epist. 21.

Scribit totam Italiam in potestate Cæsaris esse, cujus ce-
leritatem admiratur, Pompeji autem tarditatem accusat: sibi
de Campaniæ oppidis cedendum censet, quò autem se con-
ferre debeat, nescit, & ab Attico consilium petit. *Pedem*

P Edem in Italia video nullum esse, qui non in
istius potestate sit. De Pompejo scio nihil,
eumq; nisi in navim se contulerit, exceptum iri
puto. O celeritatem incredibilem! Hujus autem
nostri! Sed non possum sine dolore accusare eum,
de quo angor & crucior. Tu cadem non sine cau-
sa times: non quò minus quicquam Cæsari expe-
diat ad diuturnitatem victoria, & dominatio-
nis: sed video, quorum arbitrio sit acturus. Rectè
sic: censeo cedendum de oppidis his: egeo consi-
lij. Quod optimum factu videbitur, facies: cum
Philotimo loquere, atq; adeò Terentiam habebis
Idibus. Ego quid agam? quà, aut terra, aut mari
persequar eum, qui, ubi sit nescio? Et si terra qui-
dem, quì possum? mari, quò? Tradam igitur
ISTI me? Multi enim hortantur. Fac me posse
tutò: num etiam honestè? Nullo modo quidem.
A te petam consilium, ut soleo. Explicari res non
potest: sed tamen, si quid in mentem venit, ve-
lim scribas, & ipse quid sis acturus. Vale.

XI.

Lib. 7. Epist. 23.

Philotimus Ciceronis Libertus die 9. Febr. scripserat,
Domitium exercitum firmum habere, & Cæsarem interclu-
di posse. Sed postridie è Lucretii literis ad Cassium intelle-
ctum est, illa non esse vera. C. Cassius fuit Tribunus plebis,
lib. 7. Epist. 22. ad Att. L. Domitius duxit cohortes unde-
cim,

in
oil,
iri
m
n,
u-
e-
io-
tè
si-
m
his
ri
i-
ur
se
m.
n
e-
at,
u-
e-
is,
e-
m,

cim, Vibullius Rufus quatuordecim, lib. 8. Epist. 12. ad Att
Picenum est Italiae regio, quam incolunt Picentini Lucanis
proximi. Amisit autem Pompejus Pisenum, lib. 8. Epist. 12.
ad Att. Nam Caesare agrum Picenum percurrente, cunctae
earum regionum Praefecturae libentissimis animis eum re-
ceperunt, exercitumq; ejus omnibus rebus juverunt.

Caesar lib. 1. de bello Civili.

P Hilotimi litera me quidem non nimis, sed
eos, qui in his locis erant, admodum delecta-
runt. Ecce postridie Cassii litera Capua à Lucre-
tio, familiari ejus: Nigidium à Domitio Capuam
venisse, eum dicere, Vibullium cum paucis mili-
tibus è Piceno currere ad Cneum, confestim sequi
Caesarem, Domitium non habere militem unum.
Idem scripsit Consules Capua discessisse. Non du-
bito, quin Cneus in fuga sit, modò effugiat. A con-
silio fugiendi, ut tu censes, absum. Vale.

XII.

Lib. 7. Epist. 24.

Meminit priorum literarum, quas tristes appellat, &
inquit, hilariores ab Attico allatas, non tamen tales, quibus
confidere possit. De Pompejo planè desperat.

C Vm dedissem ad te literas tristes, & metuo
ne veras, de Lucretij ad Cassium literis Ca-
puam missis, Cephalio venit à vobis, attulit etiam
à te literas hilariores, nec tamen firmas, ut soles.
Omnia faciliùs credere possum, quàm quòd scri-
bitis, Pompejum exercitum habere. Nemo huc
ita

ita affert, omniaq; qua nolim. Rem miseram!
MALAS CAUSAS SEMPER OBTINUIT,
in OPTIMA concidit. Quid dicam, nisi, illud
eum scisse: neq; enim erat difficile: hoc nescisse?
Erat enim ars difficilis, rectè Rempub. regere.
Sed jam jamq; omnia sciemus, & scribemus ad te
statim. Vale.

XIII.

Lib. 8. Epist. 7.

Conqueritur de Pompejo, & maximè quòd Domitio non subveniat. Is obsessus à Cæsare Corfinij, quod est Pelignorum caput, ad Pompejum in Apuliam peritos regionum, magno proposito præmio, cum literis misit (quas Pompejus lib. 8. Ep. 20. ad Att. se accepisse scribit die 17. Feb.) qui peterent atq; orarent, ut sibi subveniret: quod nisi fecerit, se cohortesq; amplius triginta, magnumq; numerum Senatorum, atq; equitum Romanorum in periculum esse venturum, Cæsar lib. 1. belli Civilis. Sed cùm Pompejus eum desereret, coactus est tradere se Cæsari, lib. 8. Ep. 8. ad Att. Ad ædem Monetæ nummi Romæ cudebantur. Lib. 10. Epist. 10. ad Att. Monetæ nominatur.

V Num etiam restat amico nostro ad omne dedecus, ut Domitio non subveniat. At nemo dubitat, quin subsidio venturus sit. Ego non puto. Deseret igitur talem civem, & eos, quos unà scis esse, cùm habeat præsertim & ipse cohortes triginta? nisi me omnia fallunt, deseret. Incredibiliter pertimuit: nihil spectat, nisi fugam, cui tu (video enim quid sentias) me comitem putas

tas debere esse. Ego verò quem fugiam habeo:
quem sequar, non habeo. Quod enim tu meum
laudas, & memorandum dicis, quòd malle dix-
erim me cum Pompejo vinci, quàm cum istis vin-
cere: ego verò malo: sed, cum illo Pompejo, qui
tum erat, aut qui mihi esse videbatur. Cum hoc
verò, qui antè fugit, quàm scit, aut quem fugiat,
aut quò: qui nostra tradidit, qui patriam reli-
quit, Italiam relinquit, si malui, contigit: victus
sum. Quod superest, nec ista videre vossim, quæ
nunquam timui, ne viderem: nec mehercule
istum, propter quem mihi non modò meis, sed
memetipso carendum est. Ad Philotimum scripsi
de viatico, sive à Moneta: nemo enim solvit: si-
ve ab Oppijs, tuis contubernalibus. Cetera appo-
sita tibi mandabo. Vale.

XIV.

Lib. 8. Epist. 21.

Hanc Epistolam Cicero librario vel Scribæ suo dicta-
vit propter lippitudinem. Scribit se expectare nuntios
Brundisinos. Pompejus die 22. Febr. ex Apulia profectus
erat Brundisium: Cæsar secutus est die 9. Martij, & ad mu-
rum castra posuit. Sed Pompejus die Martij 17. sub noctem
naves solvit, Consulibus cum magna parte exercitus
Dyrrhachium præmissis.

Lippitudinis mea signum tibi sit Librarij
manus, & eadem causa brevitatis: et si nunc
quidem,

quidem, quod scriberem, nihil erat. Omnis expectatio nostra erat in nuntijs Brundisinis: si nactus hic esset Cneum nostrum spes dubia pacis: si ille antè transmisisset, exitiosi belli metus. Sed vidēsne, in quem hominem incidit Respublica? quàm acutum? quàm vigilantem? quàm paratum? Si meherculè neminem occiderit, nec cuiquam quicquam ademerit, ab ijs, qui eum maximè timuerant, maximè diligetur. Multùm mecum Municipales homines loquuntur, multùm rusticani: nihil prorsus aliud curant, nisi agros, nisi villulas, nisi nummulos suos. Et vide, quàm conversa res sit: illum, quo antea confidebant, metuunt: hunc amant, quem timebant. Id quantis nostris peccatis vitiisq; evenerit, non possum sine molestia cogitare. Quæ autem impendere putarem, scripseram ad te, & jam tuas literas expectabam. Vale.

Peccatis) Quidam hinc colligere voluit, Ciceronem fuisse virum sanctum & Christianum. Sed Cicero loquitur de eventis suorum consiliorum, non de peccatis in Deum. Tales ineptiæ sequuntur non intellecta Phrasi, inquit D. Philippus in Manlio, de Ecclesia.

FINIS LIBRI TERTII.

LIB. IIII.

LIBER QVARTUS MI-
NORUM EPISTOLARUM
CICERONIS,

*Partim ad Atticum, partim ad alios
scriptarum.*

Joachimus Camerarius in præfatione in Epistolas
ad Familiares.

E Go me puerum hoc audire memini de
doctissimo viro, Magistro meo GEOR-
GIO HELTO, cùm Hermannii Buschij, quo
tempore ille Lipsiæ aliquando fuit, prom-
tam & expeditam elegantiam quacunque
dere, & quocunq; in negotio verba facien-
di, admiratus, interrogasset eum, quam
maximè rationem in illa sibi paranda secu-
tus fuisset, respondisse tum illum, *legendis
& relegendis Ciceronis Epistolis*. Hac etiam re-
sponse eum motum arbitror, ut insti-
tueret harum doctrinam ordinariam horæ
quotidie unius, in sua Schola, quam habe-
bat admodum frequentem, & me ut jube-
ret *quotidie unam* ex illis memoriæ manda-
re, quod quasi pensum exigere à me ad ve-
speram indies solebat, &c.

D EPI-

EPISTOLA PRIMA.

Lib. 10. Epist. 2.

Hanc Epistolam scripsit Cicero adhuc ætatis suæ 58. die quinto Aprilis, in fratris sui Arcano, qui fuit fundus non procul ab Aquino, Latij urbe, ut intelligitur ex Epistola 1. lib. 5. ad Att. Perit consilium ab Attico, & Dionysij adventum sibi ingratum fuisse dicit. Despexerat enim fortunam Ciceronis, ut impurus & sceleratus homo. Vide lib. 9. Epist. 14. & 18. ad Att. & 17. lib. 10. Græcum vocabulum in hac Epistola variè legunt, ita ut & facem ardentem vertant, & tempus navigandi, & mutationem temporis, & Hirundinem ac ver navigationibus idoneum. Videtur autem ἀναβολῆ re-ctiùs legi, ut cunctationem vel dilationem significet. Atticus enim omnia consilia differebat in id tempus, cum sciretur, quæ Brundisij acta essent, unde jam Pompejum discessisse constabat. Vide Epist. 15. & 18. lib. 9. ad Att.

*Go cum accepissem tuas literas Nonis
E Aprilis, quas Cephelio attulerat, es-
semq; Minturnis postridie mansurus,
& inde protinus: sustinui me in Arcano fratris,
ut, dum aliquid certius afferretur, occultiore in
loco essemus, agerenturq; nihilominus, quæ sine
nobis agi possunt. ἀναβολῆ tua jam adest, & ani-
mus ardet, nec est quicquam, quò, & quà. Sed
hæc nostra erit cura, & peritorum. Tu tamen,
quoad poteris, ut adhuc fecisti, nos consilijs juva-
bis. Res sunt inexplicabiles: Fortuna sunt com-
mittenda omnia: sine spe conamur ulla. Melius
si quid acciderit, mirabimur. Dionysium nolim
ad*

ad me profectum, de quo ad me Tullia mea scripsit. Sed & tempus alienum est, & homini non amico nostra incommoda, tanta presertim, spectaculo esse nollem: cui te meo nomine inimicum esse nolo. Vale.

II. Lib. II. Epist. 18.

Cicero tandem anno ætatis 58. ad Pompejum in Græciam profectus est. Sed cùm anno sequenti victus esset Pompejus, Cicero Brundisium se contulit, & diu ibi moratus est, Cæsarem expectans, qui bellum in Ægypto gerebat. Anno ætatis 60. mense Junio, constituerat Ciceronem filium cum Cneo Salustio obviam Cæsari mittere: sed cùm de ejus adventu nihil afferretur, consilium mutavit: idq; Attico in hac Epistola, die 20. Junij data, significat, à quo petit se expediri, id est, mitti sibi pecuniam, ut apparet ex Epist. II. lib. II. ad Att. Antonio, Balbo, & Oppio intercessoribus utebatur apud Cæsarem, lib. II. Epist. 7. & 8. & quidem Antonius, magister equitum, cùm post victoriam Cæsaris Brundisium cum legionibus venisset, Ciceroni pepercit: quod beneficium Cicero in secunda Philippica agnoscit.

DE illius ab Alexandria discessu nihil adhuc rumoris, contraq; opinio, valde esse impeditum. Itaq; nec mitto, ut constitueram, Ciceronem, & te rogo, ut me hinc expedias. Quod vis enim supplicium levius est, hac permansione. Hac de re & ad Antonium scripsi, & ad Balbum, & ad Oppium. Sive enim bellum in Italia futurum est, sive classibus utetur, hic esse me minime convenit: quorum fortasse utrumq; erit;

alterum certè. Intellexi omnino ex Oppij sermo-
ne, quem tu mihi scripsisti, quæ istorum via esset:
sed, ut eam flectas, te rogo. Nihil omnino jam ex-
pecto, nisi miserum. Sed hoc perditius, in quo
nunc sum, fieri nihil potest. Quare cum Antonio
loquare velim, & cum istis, & rem, ut poteris,
expedias, & mihi quàm primùm de omnibus re-
bus rescribas. Vale. XII. Calend. Quintil.

III. Lib. II. Epist. 19.

Scripsit hanc Epistolam eodem anno, die 22. Julij, cum paulo post Augusti die 12. literas à Cæsare ex Ægypto acciperet, ut esset idem, qui fuisset, lib. 14. ad Famil. Epist. ult. & in Orat. pro Ligario. Orat Atticum, ut sapius scribat, & optat, ut de pace agi possit. Philotimus cum Q. Cicerone in Asia erat, & die 30. Maji Rhodum venerat, ut dicitur lib. II. Epist. 23. quam etiam aliqui huic præponunt. Fortassis Idibus Sextilis, id est, die 13. Augusti Romam redierat.

Cùm tuis dare possem literas, non prætermisi, etsi, quod scriberem, non habebam. Tu ad nos & varius scribis, quàm solebas, & brevius: credo, quia nihil habes, quod me putes libenter legere, aut audire posse. Veruntamen velim, si quid erit, qualecunq; erit, scribas. Est autem unum, quod mihi sit optandum, si quid agi de pace possit: quod nulla equidem habeo in spe. Sed quia tu leviter interdum significas, cogis me sperare, quod optandum vix est. Philotimus dicitur
Idibus

*Idibus Sextilibus. Nihil habeo de illo amplius.
Tu velim ad ea mihi rescribas, quæ ad te antea
scripsi. Mihi tantum temporis satis est, dum, ut
in pessimis rebus aliquid caveam, qui nihil un-
quam cavi. Vale. XI. Cal. Sextil.*

IV. Lib. 8. Epist. 13.

Cicero Cneo Pompejo Proconsuli S.

Cùm Cicero ætatis 58. præesset oræ maritimæ à For-
mijs, significat Pompejo, quid hæctenus egerit, & operam
suam in posterum pollicetur. Vibullius missus fuerat à
Pompejo in agrum Picenum, confirmandorum hominum
causa, Cæsar lib. 1. belli civilis. Tarracina est Campaniæ
urbs, ubi primum mare attingit via Appia, strata à Roma
Brundisium usq;. Deinceps sunt Formiæ, Minturna, Sinu-
essa, Tarentum, Brundisium, Strabo lib. 5. Prætor, qui Tarra-
cinam tenebat, adventante Cæsare, inde profugit, Cæsar lib.
1. belli civilis. Teanum Sidicinum etiam Campaniæ urbs est,
urbium in via Latina sitarum maxima: inde Pompejus dis-
cessit die 4. Februarij, cùm Cicero Capuam venit.

AD XV. Calend. Martij Formijs accepi tuas
litteras, ex quibus ea, quæ in agro Piceno
gesta erant, cognovi commodiora esse multò,
quàm ut erat nobis nuntiatum: Vibulliiq; vir-
tutem, industriamq; libenter agnovi. Nos ad-
huc in ea ora, ubi præpositi sumus, ita fuimus, ut
navem paratam haberemus. Ea enim audieba-
mus, & ea verebamur, ut quodcunq; tu consili-
um præcepisses, id nobis persequendum putare-

D 3 mus.

rus. Nunc, quoniam autoritate & consilio tuo
in spe firmiore sumus, si teneri posse putas Tarra-
cinam, & oram maritimam, in ea manebo: et si
presidia in oppidis nulla sunt. Nemo enim nostri
ordinis in his locis, praeter M. Oppium, quem ego
Minturnis esse volui, vigilantem hominem, &
industriam. Nam L. Torquatum, virum for-
tem, & cum autoritate, Formijs non habemus:
ad te profectum arbitramur. Ego omnino, ut pro-
ximè tibi placuerat, Capuam veni eo ipso die,
quo tu Teano Sidicino es profectus. Volueras
enim me cum M. Considio Propratore illa nego-
tia tueri. Cum eò venissem, vidi T. Ampium de-
lectum habere diligentissimè, ab eo accipere Li-
bonem, summa item diligentia, & in illa colonia,
autoritate. Fui Capuae, quoad Consules. Iterum,
ut erat edictum à Consulibus, veni Capuam ad
Non. Februarias. Cum fuisset triduum, recepi
me Formias. Nunc, quod tuum consilium, aut
quæ ratio belli sit, ignoro. Si tenendam hanc
oram putas, quæ opportunitatem & dignitatem
habet, & egregios cives, & ut arbitror, teneri
potest: opus est esse, qui praesit. Sin omnia in
unum locum contrahenda sunt, non dubito, quin
ad te statim veniam: quo mihi nihil optatius est:

idq̄

idq̄ tecum, quo die ab Vrbe discessimus, locutus
sum. Ego, si cui adhuc videor segnior fuisse, dum
ne tibi videar, non laboro, & tamen, si ut video,
bellum gerendum est, confido me omnibus facile
satisfacturum. M. Tullium, meum Necessarium,
ad te misi, cui tu, si tibi videretur, ad me literas
dares. Vale. V. Lib. 8. Epist. 14.

Collaudat virtutem Ciceronis, eumq̄; ad se vocat, ut
ejus consilio uti possit. De Apulia sic scribit lib. 8. Epist. 3. ad
Att. Apulia delecta est inanissima pars Italiae, & ab impetu
hujus libelli remotissima, fuga, & maritima opportunitas
visa quaeri desperatione. Viam Appiam muniendam cura-
vit Appius Claudius Censor, qui postea caecus dictus est, an-
nis ante natum Ciceronem 205. Livius lib. 9.

Cn. Pompejus Magnus Proconsul Cice-
roni Imperatori S. D.

Tuas literas libenter legi. Recognovi enim
tuam pristinam virtutem etiam in salute
communi. Consules ad eum exercitum, quem in
Apulia habui, venerunt. Magnopere te hortor,
pro tuo singulari perpetuoq̄; studio in Rempubli-
cam, ut te ad nos conseras, ut communi consilio
Reipub. afflictæ opem, atque auxilium feramus.
Censeo, via Appia iter facias, & celeriter Brun-
disium venias. Cura, ut valeas.

VI. Lib. 9. Epist. 5.

Etsi Cicero Pompejo favebat: tamen etiam Caesarem

D 4

amicum

amicum retinere studebat. Itaque Cæsar illi gratias agit,
eumq; Romam vocat, ut ibi consilio & ope ejus uti possit.

CÆSAR Imperator S. D. Ciceroni
Imperatori.

Cùm Furnium nostrum tantum vidissem,
neq; loqui, neq; audire me commodè potuis-
set properantem, atq; essem in itinere, præmissis
jam Legionibus: præterire tamen non potui,
quin & scriberem ad te, & illum mitterem, gra-
tiasq; agerem: etsi hoc officium & feci sæpe, &
sæpius mihi facturus videor: ita de me mereris.
In primis à te peto, quoniam confido me celeriter
ad Urbem venturum, ut te ibi videam, ut tuo
consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti
possim. Ad propositum revertar: festinationi
meæ, brevitatiq; literarum ignosces. Reliqua ex
Furnio cognosces. Vale.

VII. Lib. 9. Epist. 13.

Respondet Cicero Cæsari, eiq; operam suam pollice-
tur, si Pompejo reconciliari velit. Lentulus Spinther in
Consulatu suo Ciceronis reditum ab exilio præclare adju-
verat. Sub initium belli civilis cum Corfinij cum Domitio
& alijs in potestatem Cæsaris venisset, Cæsar eum incolu-
mem dimisit. Pro hoc beneficio Cicero gratias agit Cæsari.

VT legi tuas literas, quas à Furnio nostro
acceperam, quibus mecum agebas, ut ad
Urbem essem, te velle uti consilio & dignita-
te

te mea: minus sum admiratus. De gratia & ope quid significares, mecum ipse quarebam. Spe tamen deducebar ad eam cogitationem, ut te pro tua admirabili ac singulari sapientia, de otio, de pace, de concordia civium agi velle arbitrarer, & ad eam rationem existimabam satis aptam esse & naturam & personam meam. Quod si ita est, & si qua de Pompejo nostro tuendo, & tibi ac Reipub. reconciliando, cura te attingit: magis idoneum, quam ego sum, ad eam causam, profectò reperies neminem: qui & illi semper, & Senatui, cum primùm potui, pacis autor fui. Nec, sumtis armis, belli ullam partem attingi: judicaviq; te eo bello violari, contra cujus honorem, populi Romani beneficio concessum, inimici atq; invidi niterentur. Sed, ut eo tempore non modò ipse autor dignitatis tuæ fui, verùm etiam ceteris autor ad te adjuvandum: sic me nunc Pompeji dignitas vehementer movet. Aliquot enim anni sunt, cum vos duos delegi, quos precipuè colerem, & quibus essem, sicut sum, amicissimus. Quamobrem à te peto, vel potius precibus omnibus oro, & obtestor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoq; cogitationi, ut tuo beneficio bonus vir, grat⁹, pius deniq; esse in maximi beneficij memoria possim. *Quasi tan-*

D 5 tùm

tum ad meipsum pertinerent, sperarem me à te
tamen impetraturum: sed, ut arbitror & ad tu-
am fidem, & ad Rempub. pertinet, me & pacis
utriusq; vestrum, & ad civium concordiam, per
te, quàm accommodatissimum conservari. Ego,
cùm antea tibi de Lentulo gratias egissem, cùm
ei salutem, qui mihi fuerat, fuisses: tamen ejus le-
tissimis literis, quas ad me gratissimo animo de tua
liberalitate beneficioq; misit, eandem me salutem
à te accepisse putavi, quàm ille. In quem si me in-
telligis esse gratum, cura obsecro, ut etiam in
Pompejum esse possim. Vale.

VIII. Lib. 14. Epist. 14.

Hanc Epistolam anno Ciceronis 63. scripsit Antonius,
Caesaris tum in Consulatu Collega. Scripta est autem post
mortem Caesaris, qui hoc anno Idibus Martij, tribus & vi-
ginti plagis confossus est. Petit à Cicerone, ut liceat sibi re-
stituere filium P. Clodij, qui Ciceronem in exilium eiecit, &
sexennio post, anno Ciceronis 35. à Milone interfectus fuit.

O Cupationibus est factum meis, & subita
tua profectio, ne tecum coràm de hac re
agerem. Quam ob causam vereor, ne absentia
mea levior sit apud te. Quòd si bonitas tua re-
sponderit iudicio meo, quod semper habui de te,
gaudebo. A Casare petij, ut Sex. Clodium resti-
tueret: impetravi. Erat mihi in animo etiam
tum sic uti beneficio ejus, si tu concessisses: quò
magis

magis laboro, ut tua voluntate id per me facere
nunc liceat. Quòd si duriozem te ejus misera &
afflicta fortuna prabes, non contendam ego ad-
versus te: quanquam videor debere tueri com-
mentarium Caesaris. Sed meherculè, si humani-
ter & sapienter, & amabiliter in me cogitare
vis, facilem profectò te prabebis, & voles, Sext.
Clodium in optima spe puerum repositum, existi-
mare, non te in seclatum esse, cum potueris, ami-
cos paternos. Patere, obsecro te, pro Repub. vide-
ri gessisse similtatem cum Patre ejus. Non con-
temseris hanc familiam: honestius enim & li-
bentius deponimus inimicitias Reip. nomine sus-
ceptas, quàm contumacia. Me deinde sine ad
hanc opinionem jam nunc dirigere puerum, &
tenero animo ejus persuadere, NON ESSE TRA-
DENDAS POSTERIS INIMICITIAS. Quanq̃
tuam fortunam, Cicero, ab omni periculo abesse
certum habeo: tamen arbitror malle te quietam
senectutem, & honorificam potius agere, quàm
sollicitam. Postremò meo jure te hoc beneficium
rogo. Nihil enim non tua causa feci. Quod si non
impetro, per me Clodio daturus non sum, ut intel-
ligas, quanti apud me autoritas tua sit, atq; eò te
placabiliorem prabeas. Vale.

IX. Lib.

IX. Lib. 14. Epist. 15.

Respondet Cicero honorificè & liberaliter, & concedit Antonio, ut Clodium restituat. Quid autem de hac Antonij petitione senserit, Attico significat lib. 14. Epist. 13. Antonius ad me scripsit de restitutione Sex. Clodij: quàm honorificè, quod ad me attinet, ex ipsius literis cognosces: (misi enim tibi exemplum) quàm dissolutè, quàm turpiter, quàm perniciosè, ut nonnunquam Cæsar desiderandus esse videatur, facilè existimabis. Quæ enim Cæsar nunquam neq; fecisset, neq; passus esset, ea nunc ex falsis ejus commentarijs proferuntur. Ego autem Antonio facilimum me præbui. Etenim ille, quoniam semel induxit animum sibi licere, quod vellet, fecisset nihilominus me invito. Vide

& Philipp. 2. p. 167.

Cicero Antonio Contuli S. D.

Quod mecum per literas agis, unam ob causam mallem coràm egisses. Non enim solùm ex Oratione, sed etiam ex vultu, & oculis, & fronte, ut ajunt, meum erga te amorem perspiciere potuisses. Nam cum te semper amavi, primùm tuo studio, post etiam beneficio provocatus, tum his temporibus Respublica te mihi ita commendavit, ut chariorem habeam neminem. Literæ verò tuæ tum amantissimæ, tum honorificentissimè scriptæ, sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere à te, ita petente, ut inimicum meum, necessarium tuum, me invito servare nolles, cum id nullo negotio facere posses. Ego verò tibi istud, mi Antoni, remitto,
atq;

atq; ita, ut me à te, cùm his verbis scripseris, liberalissimè atq; honorificentissimè tractatum existimem. Idq; cùm totum, quoquo modo se res haberet, tibi dandum putarem, tum do etiam humanitati, & naturæ meæ. Nihil enim unquam non modò acerbum in me fuit, sed ne paulò quidem tristius, aut severius, quàm necessitas Reip. postulavit. Accedit, ut ne in ipsum quidem Clodium, meum insigne odium fuerit unquam: semperq; ita statui, NON ESSE INSECTANDOS inimicorum amicos, præsertim humiliores, nec his præsidijs nosmetipsos esse spoliandos. Nam de puero Clodio tuas partes esse arbitror, ut ejus animum tenerum, quemadmodum scribis, his opinionibus imbuas, ut ne quas inimicitias residere in familijs nostris arbitremur. Contendi cum P. Clodio, cùm ego publicam causam, ille suam defenderet: nostras concertationes Respub. dijudicavit. Si viveret, mihi cum illo nulla contentio jam maneret. Quare, quoniam hoc à me sic petis, ut, quæ tua potestas est, ea neges, te, me invito, usurum: Pueri quoq; hoc à me dabis, si tibi videbitur: non quò aut ætas nostra ab illius ætate quicquam debeat periculi suspicari, aut dignitas mea ullam contentionem extimescat: sed ut nosmetipsi

*metipsi inter nos conjunctiores simus, quàm ad-
huc fuimus. Interpellantibus enim his inimiciti-
is, animus tuus mihi magis patuit, quàm domus.
Sed hæc hæctenus. Illud extremum: ego, quæ
te velle, quæq; ad te pertinere arbitrabor, semper
sine ulla dubitatione, summo studio faciam. Hoc
velim tibi penitus persuadeas. (Ad hanc Epistolam
Antonius rescripsit, Ciceronis clementiam & sibi esse gra-
tam, & Ciceroni voluptati magnæ fore, lib. 14. ep. 22. ad Att.)*

X. Lib. 16. Epist. 21.

Buthrotum Epiri urbs fuit. Cùm autem Buthrotiorum
ager proscriptus fuisset, intercesserunt apud Cæsarem Atti-
cus & Cicero, & impetrarunt, ut Cæsar eos, accepta pecunia,
decreto suo liberaret. Accidit autem, ut Cæsar subito interi-
ret. Igitur post interitum ejus causa Buthrotiorum delata
est ad Consules, qui eam sine ulla dubitatione probaverunt,
seq; ad Plancum, quem Cæsar ei negotio præfecerat, literas
daturus esse dixerunt. A Planco igitur Cicero per literas pe-
tijt, ut eam rem adjuvaret, idq; libenter, prolixè, & ce-
leriter faceret, lib. 16. ep. 17. & 19.

Ignosce mihi, quòd cùm antea accuratissimè
de Buthrotijs ad te scripserim, eadem de re sæ-
pius scribam. Non meherculè, mi Plance facio,
quòd parùm confidam aut liberalitati tuæ, aut
nostre amicitie: sed, cùm tanta res agatur Atti-
ci nostri, nunc verò etiam existimatio, ut id,
quod probavit Cæsar nobis testibus, & obsigna-
toribus, qui & decretis & responsis Cæsaris in-
terfueramus, videatur obtinere potuisse: præfer-
tim

tim cum tota potestas ejus rei tua sit, ut ea, quae
Consules decreverunt secundum Caesaris decre-
ta, & responsa, non dicam comprobes, sed studiosè
comprobes. Id mihi sic erit gratum, ut nulla res
gratior esse possit: et si jam sperabam, cum has li-
teras accepisses, fore, ut ea, quae superioribus lite-
ris à te petissemus, impetrata essent: tamen non
faciam finem rogandi, quoad nobis nuntiatum
erit, te id fecisse, quod magna cum spe expecta-
mus. Deinde enim confido fore, ut alio genere li-
terarum utamur, tibiq; pro tuo summo beneficio
gratias agamus. Quod si acciderit, velim sic exi-
stimes, non tibi tam Atticum, cujus permagna
res agitur, quàm me, qui non minus labore,
quàm ille, obligatum fore. Vale.

XI. Epistola 4. ad Brutum.

Hanc Epistolam scripsit Cicero postremo ætatis suæ nem-
pe 64. anno. Marcus hic Brutus fuit unus de interfecto-
ribus Cæsaris, & tum è Græcia in Macedoniam transgressus erat,
ubi Cæsar Antonius Marci frater prælio cum Cicerone filio
commisso, victus in Bruti potestatem venit. Eum Cicero cu-
stodiendum putat, donec cognitum sit de exitu Decij Bruti,
quem M. Antonius Mutinæ obsidebat. Dolabella Treboni-
um Smyrnæ in minori Asia interfecerat. Itaq; in Senatu ho-
stis judicatus fuit. Cum autem ageretur de Imperatore deli-
gendo, qui eum bello persequeretur, Cicero sententiam ro-
gatus, Philippicam undecimam dixit, & repugnante ac ira-
scente Panfa Consule, censuit, ut Dolabellam C. Cassius per-
sequeretur. M. autem Brutum in decima Philippica
laudavit. Datis

D Atis manè ad diem VI. Id. April. Scaptio li-
teris, eodem die tuas accepi Cal. April. Dyr-
rbachio datas vesperi. Itaq; manè pridie Id. Apr.
cùm à Scaptio certior factus essem, nō esse eos pro-
fectos, quibus pridie dederam, & statim ire, hoc
paululum exaravi ipsa in turba matutinæ salu-
tationis. De Cassio letor, & Reip gratulor: mihi
etiam, qui repugnante, & irascente Pansa sen-
tentiam dixerim, ut Dolabellam bello Cassius
persequeretur. Et quidem audacter dicebam, si-
ne nostro Senatusconsulto jam illud eum bellum
gerere. De te etiam dixi tum, quæ dicenda pu-
tavi. Hæc ad te oratio perferetur, quoniam te
video delectari Philippicis nostris. Quòd me de
Antonio consulis, quoad Bruti exitum cognovi-
mus, custodiendum puto. Ex his literis, quas mi-
hi misisti, Dolabella Asiam vexare videtur, &
in ea se gerere teterrimè. Compluribus autem
scripsisti, Dolabellam à Rhodijs esse exclusum:
qui si ad Rhodum accessit, videtur mihi Asiam
reliquisse. Id si ita est, istic tibi censeo commoran-
dum: sin eam semel cepit, mihi crede,
non erit. Idibus Aprilis.


Vale.

**FINIS MINORUM
EPISTOLARUM.**

li-
vr-
or.
ro-
noc
u-
ibi
n-
us
si-
m
u-
te
de
ri-
ni-
e
em
n:
am
n-







4
r
VIII
37

EPISTOLA-
RUM CICERONIS,
QVÆ VULGO MINO-
RES APPELLANTUR,

LIBER PRIMVS.

Quintilianus (cui Domitianus Augustus sororis suæ
nepotum delegaverat curam) lib. 10. c. 1.

*Apud posteros id consecutus est Cicero, ut
jam non hominis, sed eloquentiæ nomen ha-
beat. Hunc igitur spectemus. Hoc pro-
positum nobis sit exemplum. Ille se profe-
cisse sciat, cui Cicero valde placebit.*



Coburgi imprimebat Casparus Bertsch.
ANNO CHRISTI M. DCVI.

